

Quis est iste rex gloria. ] Portis tribuit interrogationem, quasi gloriantibus præ gaudio futuri ingressus gloriosi regis, quibus & pari gaudio, & animi exultatione respondet dicens: Dominus fortis & potens, Dominus potens in bello. Hanc vero interrogationem præ magno desiderio & æstu repetit, pari modo vicissim respondens. Istis certè animum populi excitare voluit, ad futuram templi ædificationem, & ad expendendum ingens illud donum Dei, quòd voluerit habitare in illorum medio.

OBS. 1.

Videmus hic quomodo sit sentiendum & loquendum de mysticis rebus.

Primò. Obseruandus est zelus iste Dauidis, quem habuit erga ædificandam Dei domum, & colendam arcam. Absq; dubio sciebat & ipse, quòd apertè confessus est filius eius Salomon, nempe Deum non habitare in manu factis. Et tamè quia arcam istà Deus fieri, iusserat inq; illa habitaturum se promiserat, ad hoc vnum, vt populus in fide ac timore Domini institueretur, rectè magno erga illam feruore ardebat. Atq; ita passim visi sunt pij delectari ceremonijs diuinis institutis. Et reuerà vbi frigent mortales in ceremonijs veris à Deo datis, signum est parum adesse fidei ac religionis.

OBS. 2.

Et ingreditur rex gloria. ] Notanda est ista loquutio, frequens in Scripturis, qua arcam testamenti vocat regem gloria. Iam certè manifestum est, arcam non fuisse per se Dominum gloria. Verùm quia erat præsentia diuinæ symbolum, amplificandi & commendandi gratia ita loquutus est. Interea tamen simul cauendum erat, ne putarent mox præsentem arcam, præsentiam quoq; haberi opis diuinæ: vt videre est 1. Sam. 4.

OBS. 3.

Tertiò. Expendenda sunt & epitheta illa, quæ Deo tribuit, vocans eum regem gloria, fortem ac robustum. Certum est, quòd ista laudis vice Deo tribuat. Iam laudem Dei oportet talem esse, quæ nulli creaturæ competat, alioqui quid magni esset, si Deo tribuas, quæ & in creaturis reperiuntur. Cùm ergo Deo tribuat regnum, gloriam, & potentiam: relinquatur, regnum, gloria, & potentiam solius Dei esse. Atque ita docuit nos Christus orare: Quia tuum est regnum, gloria & potentia in secula. Amen.

Quòd ergo Deum regem facit gloria, cùm ipse rex esset à Deo constitutus, exemplum est, quo admoneantur reges ac principes terræ, omnem suum potentatum, gloriam & potentiam non sibi ipsis, sed Deo adscribere, scireq; se non nisi seruos esse summi ac veri regis.

Deinde & nobis omnibus documento est, vt reges ac potentes in supremo illo rege veneremur, à quo omnem potentiam habent. Inò veneremur Deum ipsum in illis.

Tertiò, iuxta quoq; consolationem maximam adfert, quòd gloria & potentia in manu sunt, non mortalium, sed Dei. Quid ergo pro gloria nominis Dei timebimus potentiam regum vmbatilium huius terræ? Et reuerà magna miseria, est quòd reges terræ aut plus colimus, aut plus metuimus, quàm Deum ipsum verum regem, gloriosum & potentem.

OBS. 4.

Et hoc obseruandum est, quòd notanter dicit, Deum regem esse bellica virtute potentem & insignem, regemq; exercituum. Quia in re duo facit. Vnum, quòd populum Dei admonet victoriarum Dei, quas insignes tulit de hostibus suis, in Ægypto, in mari rubro, in Canaan, de Amorrhæis, Moabitibus, Syris, Philistæis, Idumæis. Alterum, quòd simul gloriam illam virtutis bellicæ è manibus regum ac magnatum impiorum excutit, qui potissimum de robore bellico gloriantur, & huius gratia perpetuò iustis ac pijs minaces sunt. Vnde precatio illa piorum est: Dissipa Domine gentes, quæ bella volunt. Contra istas itaq; impiorum minas, inducitur hic Dominus virtute bellica insignis, & Dominus exercituum: ne videlicet metuamus eos, qui perpetuò bella crepant, & mox in arma prouunt. Sors bellorum est in manu Domini, non in manu hostium impiorum. Vide Psalm. 33. & 44. & Psalm. 20

## PSALMVS XXV.

PSALMVS DAVIDIS.

## ARGVMENTVM ET DIVISIO PSALMI.

Est hic Psalmus varijs affectibus mixtus. Duplici nomine impulsus Propheta, hinc infestatione hostium illinc sensu peccatorum, præsertim iuuentutis, aduersus vtrinq; molestiam spe diuinæ bonitatis fretus, partim auxilium diuinum, partim misericordiam & veniam orat. Facit hoc versibus primis septem, & vndecimo. & postea à sextodecimo ad finem vsq; Psalmi. Versibus verò 8. 9. 10. 12. 13. & 14. diuinam bonitatem celebrat, & illius occasione omnia prospera timentibus Dei pollicetur. Versu 15. spem suam & fiduciam erga Deum, à quo totus pendebat, profitetur: & simul declarat, quidnam ab illo speret.

VERS. I.  
K

De te Domine leuo animam meam.

2. Deus meus, in te confido, ne pudeam: ne latentur inimici mei super me.

3. Etiam vniuersi qui expectant te, non confundantur: confundantur iniquè agentes sine causa.

4. Vias tuas Domine demonstra mihi: semitas tuas doce me.

5. Dirige me in veritate tua, & doce me: quia tu es Deus Seruator meus, te expecto tota die.

6. Remiscere miserationum tuarum Domine: & beneficentiarum tuarum, quoniam à seculo sunt.

7. Delictorum iuuentutis meæ, & transgressionum mearum ne memineris: secundum beneficentiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam Domine.

Ne latent